

re pro excommunicatis, & quibuscumque infidelibus, sicut potest alias privatas orationes offerre pro illis, ut convertantur, & respiciant. At orare in Missa, aut eam offerre non potest licite nomine Christi, nec valde nomine Ecclesiæ pro excommunicatis, etiam toleratis, quia sunt membra abscissa a corpore Ecclesiæ. Valet tamen eam offerre nomine Christi pro infidelibus non excommunicatis, & potiori ratione pro Cathecumenis, ut pro Paganis, Judæis, Turcis, & similibus quoad fructum impetrationis, quia hoc ab Ecclesiâ nullibi est vetitum, sicut est prohibitum Missam offerri pro excommunicatis in cap. Anobis. 2. de sent. excom.

31. R. 2. Quod pro parvulis, & perpetuo amentibus non baptizatis nequit offerri sacrificium Missæ, ut satisfactorium, quia nihil illis prodest, ut ex se patet. Verum ut impetratorium, ut gratiam baptismi obtineant, bene potest pro illis offerri. Minime tamen pro damnatis, quia in inferno nulla est redemptio. Ideo si aliquando dicitur proficere Missam, aut orationem damnatis, intelligendum est de damnatis ad purgatorium, vel de damnatis ad infernum non finaliter, ut de Trajana refert D. Thom. in 1. dis. 43. a. 5. vid. Tract. 10. n. 37.

32. Prohibitum est etiam offerri Missam pro illis, qui omnino voluntarie, & sui compotes se occidunt, licet Sacerdos in memento defunctorum pie possit pro eis privatim orare, si forte ante mortem vere penituerit. Nec pro cathecumenis defunctis est offerendum sacrificium, dum ex sua negligentia absque baptismo decesserit. Denique pro beatis solum valet offerri ad eorum gloriam accidentalem, vel in gratiarum actionem Deo pro eorum æterna felicitate. Qua ratione etiam offerri potest pro parvulis, statim post baptismum vita functis, hoc est in finem Laueiticum, & Eucharisticum, nempe in honorem supremi dominii, & in gratiarum actionem pro beneficiis ipsis parvulis a Deo collatis.

CAPUT II.

De congruo tempore, loco, & aliis requisitis pro celebratione.

PUNCTUM I.

De tempore congruo ad celebrandum.

33. Inq. 1. Qua hora possit Missa celebrari? R. quod in rubrica ita habetur: "Missa privata saltem post matut., & laud." quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest. "Ex permissione vero Bened. XIII. & Clem. XII. tertia horæ parte ante auroram, & alia post meridiem celebrari potest. Aurora appellatur illa irradiatio, quæ respectivè ad diversa tempora incipit, vel una hora, vel hora cum dimidia ante solis ortum. Potest anticipari, & postponi celebratio ex gravi causa per unam horam, plus minusve, ubi ratione itineris necessarii, vel notabilis damni. Ad dandum viaticum infirmo, alias sine illo morituro, valet celebrari. quilibet hora post mediam noctem, & etiam secunda hora post meridiem. Similiter ratione magnæ solemnitatis, aut concionis postponi valet celebratio per unam horam. Episcopi cum suis subditis, & regulares cum propriis dispensare possunt ex justa causa, ut celebrent una hora ante, vel post tempus præscriptum, seu consuetum. Imo posse regulares celebrare, transactis duabus horis a media nocte, asserunt aliqui ex privilegio Alexandri VI. confirmato a Clem. VIII. De Missa vero conventuali strictius rubricæ, earumque explanatores locuntur. Vid. clericat. decis. 50. de sacrific. Missæ, ubi citat S. Antonin. sic scribentem: "Si sermo sit de Missa conventuali, videtur peccatum esse mortale eam ante Matutinum, & Laudes celebrare; id est enim contra generalem Ecclesiæ consuetudinem.

34. Inq. 2. An in nocte Nativitatis Domini immediate post primam Missam cantatam possint alie duæ celebrari? R. neg. Ita quinquies declaravit Sac. Rit. Congr. in Pisaurienti, Lucana, Senensi, Januensi, & Calagurritana, simul prohibens, auditis Procuratoribus generalibus regularium, ministrari in dicta prima Missa com-

mu-

Cap. II. De congruo tempore, loco, & aliis requisitis pro celebratione. 57

munionem fidelibus confluentibus, & eam deponentibus. Neque possunt excipi in Ecclesia tempore nocturno confessiones, maxime mulierum, nec distribui Eucharistia usque ad auroram, ut cavetur in dicta Calagurritana 15. Septemb. 1680.

35. Inq. 3. An omnibus diebus valeat Missa celebrari? R. Quod in die parasceves nulla Missa celebrari potest, sed perficienda sunt officia propria illius diei, prout in Missali sunt præscripta. Diebus autem Cœnæ Domini, & Sabbati Sancti prohibitum est celebrare Missas privatas ex decreto Clem. XI. die 15. Martii 1712. his verbis: *Non possunt in feria V. in Cœna Domini, & Sabbato Sancto celebrari Missæ privatae, sed solum conventuales juxta ritum S. Ecclesiæ, & iterata decreta Sac. Congr. Concina tamen asserit cuilibet Sacerdoti licere celebrare dicta feria v. Cœnæ Domini. Deinde id negat ex consuetudine, tandem dicit Superiores in hoc posse dispensare. Sed stante dicto decreto, nec alicui Sacerdoti illis diebus licet celebrare, nec Superiores ad id valent dispensare. Vid. Conc. lib. 3. de Euchar. dissert. 2. cap. 7. n. 3. Si autem in dicta feria v. incidat dies S. Joseph, aut Annunciationis ad ordinarios attinet providere de Missis sufficientibus, ut populus præcepto eam audiendi satisfaciat. Cæteris anni diebus non ambigitur posse quemlibet Sacerdotem celebrare, Parochi tenentur perse, vel per alios celebrare omni die festo, & quoties oves Missam rationabiliter postulent.*

36. Inq. 4. An Sacerdos ex vi suæ ordinationis teneatur quotidie celebrare? R. neg. Quia ad id nulla lege obligatur. Nihilominus debet sub gravi aliquoties in anno celebrare. Sufficere quater in anno, ut quidam ajunt, nimis benignum, ne dicam laxum, mihi videtur. Quis non putaret parum sollicitum de sua salute Sacerdotem semel saltem in mense non celebrantem? Angelicus docet Sacerdotes, ne in vacuum gratiam Sacerdotii accepisse dicantur debere celebrare in præcipuis festis, & maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt. 3. p. q. 82. art. 10.

37. Inq. 5. An Sacerdos possit bis in die celebrare? R. Quod solum potest dum ad id cogitur ratione necessitatis, ut Parochus habens duas Ecclesias in duobus op-

Tom. II.

pidis, & nullus adest Sacerdos, qui supplere valeat. Tunc sumptis speciebus in prima Missa, & calice bene emundato, omisa ablutione, potest, & debet pergere ad secundam celebrandam. Si autem adsit Sacerdos, potens hanc dicere, minime valet Parochus, nec ei juvat paupertas, cui aliter subvenire consilio Episcopi debet, nec prætextus explicandi doctrinam in secunda Ecclesia; potest enim hæc explicari ab alio Sacerdote, vel ab ipso Parocho, quin in ea celebret. Ita decrevit Benedictus XIV. in Constitutione directâ ad Episcopum Hoscensem 16. Mart. 1746. laudans aliam Constitutionem Apostolicam editam de hac re anno 1657, qua fuit denegata facultas duplicis Missæ celebrandæ ab eodem Sacerdote, postulata a quodam Indiarum Episcopo, eo, quod multi nobiles ob inopiam decentis indumenti omittebant audire Missam conventualem; & hac ratione quæ videtur honesta, deposcebatur alia Missa primo mane, quæ nihilominus denegata fuit.

38. Igitur solum in die Nativitatis Domini omnes Sacerdotes, & in die Commemoracionis solemnisi Defunctorum in Regnis Hispaniarum & Lusitanie ex privilegio possunt tres Missas celebrare. Sub conditione ut celebrantes unam, vel duas Missas dicto die Commemoracionis Defunctorum ex privilegio Benedicti XIV. nequeant eleemosynam pro eis recipere, neque cum eis alicui obligationi ex justitia satisfacere, sed omnino gratis pro fidelibus defunctis debeant applicari, ita scite disponente eodem laudato, & nunquam satis laudando summo presule in suo Brevi incipiente: *Quod expensis. Vid. Synod. Diæces. lib. 13. cap. ult. num. 14.*

PUNCTUM II.

De loco decenti ad celebrandum.

39. Inq. Quo loco Missa celebranda sit? R. Quod regulariter debet celebrari in Ecclesia ab Episcopo consecrata, seu benedicta, excepto aliquo casu necessitatis, aut indulto Pontificis; Ita enim postulat tanti Sacramenti reverentia. Potest ratione necessitatis celebrari in littore maris, vel in ipso mari celo sereno, & secluso omni periculo. Episcopi valent aliquando ex

H jus-

justa causa concedere facultatem celebrandi extra Ecclesiam in loco honesto. Sicut etiam erigendi oratoria publica cum ingressu, & egressu ad viam publicam. Minime tamen erigendi oratoria privata in domibus secularium: neque ibi valent ipsi celebrare, si jam est celebrata alia Missa, a Pontifice concessa in Brevis pro oratoriis secularium, more ordinario expedito. Cum autem plura excitentur dubia circa hujusmodi oratoria, nec non circa intelligentiam Brevis, sive indulti ad eorum erectionem concessi, ideo operepretium ducimus quaedam discutere sequentibus §§.

§. I.
De oratorio.

40. Inq. 1. Quid intelligatur nomine oratorii? R. Intelligi locum ad cultum divinum destinatum. Est in duplici differentia, aliud publicum, aliud privatum. oratorium publicum dicitur illud, quod fit pro omnibus ingredi volentibus, ideoque habet januam communem cum ingressu, & egressu libero, aliquo campanili pro fidelibus monendis, ut ad Missam convenient, & celebratur in eo festivitatis Sancti, cui altare est dedicatum. Hæ sunt conditiones notiones oratorii publici. Privatum est, quod ad tempus erigitur in privata domo ad Missam ibi celebrandam, & audiendam in loco decenti sine porta publica, ingressu, aut egressu libero. Ad primum erigendum sufficit facultas Episcopi, cuius licentia valet, etiam in eodem die, plures Missæ ibi celebrari, gaudetque immunitate ecclesiastica, ubi hæc viget, juxta jus commune. Ad secundum requiritur indultus Papæ, & solum queunt dici in eo illa, vel illæ Missæ, quæ in indulto assignantur.

41. Inq. 2. Qua de causa concedantur oratoria privata? R. Concedi causa infirmitatis, debilitatis, aut alterius impedimenti ad eundem Ecclesiam, qui enim ad illam pergere commode valet, oratorii indultum licite postulare nequit. Intentio concedentis indultum est subvenire necessitati, & devotioni, non pompæ, fastui, aut pigritiæ. Unde sine causa numquam est celebranda, nec audienda in oratorio Missa; ad hoc namque constituta est Ecclesia. Hæc est Domus Dei, in qua vult quærri, &

adorari in spiritu, & veritate, mercedemque. 42. Inq. 3. Quanto tempore duret privilegium oratorii? R. Quod, nisi aliud in eo exprimitur, durat per vitam privilegii: non vero transit ad ejus hæredes, aut familiam. Vita autem illius durante, esto Papæ moriatur, perseverat indultum: Imo esto Pontifex obeat, antequam illud Ordinarius exequatur, quia in utroque casu tenet, quod gratia facta non expirat morte concedentis. Si privilegiatus mutat domicilium intra Diocesim, valet adhuc indultum, quia ibi est personale; debet tamen visitari denuo ab Ordinario, ut sic in loco decenti, & approbato constituitur. Idem quippe indultum valet intra Diocesim pro duplici, aut pluribus locis, dummodo eodem die solo uno utatur. Potest autem privilegiatus, hodie uno, cras altero uti. Extra Diocesim vero commissionis non proficit indultum, sed requiritur novum, aut nova extensio ejusdem ex constanti stylo curiæ, quidquid asserat alii.

43. Inq. 4. An oratoria, quæ eligunt Episcopi, aut Cardinales in suis palatiis, sint publica, aut privata? R. Non reputari privata, esto sint Episcopi titulares, ex repetita declaratione Sac. Congr. Concil. Capellæ etiam carcerum habentur, ut publica; non vero oratoria palatii publici, in quibus optimates, & Senatores conveniunt, ex declaratione ejusdem Congr. At oratoria regularium, sive in propriis domibus, sive in grangiis sint erecta, habentur ut publica. Unde in illis celebrari possunt plures Missæ a quibusvis Sacerdotibus, & fideles satisfacere ibi præcepto Missam audiendi, ac recipere sacramentum pœnitentiæ, & communionis. In quo differunt oratoria publica a privatis; in istis quippe nec possunt celebrari plures Missæ, quam assignat in privilegio, nec fideles indiscriminatim satisfacere præcepto, neque recipere sacramentum pœnitentiæ absque licentia Papæ, aut Eucharistiæ absque consensu Episcopi.

44. Inq. 4. An regulares gaudeant privilegio erigendi dicta oratoria? R. affirm. Sic benigne concessere regularibus plures summi Pontifices, & novissime Benedictus XIV. Dominicani in Constit. incipiente; Exponi nobis, data 20. Januar. 1757. ubi expresse concedit, quod in præfatis oratoriis sive in monasteriis, sive in eorum

Missæ

possessionibus erectis, possint celebrari Missæ a quibuscumque Sacerdotibus, & fideles, inibi Missam audientes, satisfacere præcepto ecclesiastico. Quatuor autem sunt pro licita erectione oratorii regularibus observanda: nempe quod erigatur autoritate Generalis, aut Provincialis: quod visitetur a Provinciali, seu Visitatore: quod unice deputetur cultui divino, & pro Missis celebrandis: quod benedicatur aqua benedicta ab Episcopo Diocesano, vel hoc nolente ab alio Episcopo. Ita indulsit Benedict. XIII.

§. II.

Formula indulti pro concessione Oratorii.

45. "Dilecte fili &c. spirituali consolationi tuæ, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, te que specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes &c. supplicationibus tuo nomine, Nobis super hoc humiliter porrectis, inclinati tibi, qui (ut asseris) nobili genere procreatus existis, ut in privato domus tuæ solite habitationis in Diocesi N. existentis oratorio, ad hoc decenter muro extracto, & ornato, seu extruendo, & ornando, ab omnibus domesticis usibus libero, per Ordinarium loci prius viisando, & approbando, ac de ipsius ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit, per quemcumque Sacerdotem ab eodem Ordinario secularium, seu de suorum superiorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio; ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis D. N. Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in tua, ac familiæ, & hospitium nobilium tuorum presentia celebrare facere, libere, & licite possis, & valeas, auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus, & indulgemus; non obstantibus &c. Volumus autem, quod familiares servitiis tuis tempore dictæ Missæ actu non necessarii, ibidem Missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in ecclesia diebus fes-

& aliis requisitis, pro celebratione. 59
tibus de præcepto, minime liberi censeantur. Datum Romæ &c."

Indulta extraordinaria amplius gratias concedunt, ut facultatem duas, vel plures Missas in oratorio dicendi, sacramenta ibidem recipiendi, aut ad celebrandum diebus exceptis; vel ubique locorum. At in præsentem solum est sermo de indulto ordinario.

§. III.

Expenduntur 12. clausulæ indulti.

46. Prima: qui ut (ut asseris) nobili genere procreatus existis: omnes conveniunt sufficere nobilitatem ex solo patre; & licet idem aliqui sentiant de nobilitate ex sola matre proveniente, probabilius est oppositum: quia nobilitas absolute talis, ex linea virili descendit, nec proprie dicitur nobilis, qui talis a patre non est. Ultra quod, cum privilegium hoc sit contra jus commune, stricte debet intelligi, & non nisi de vera, ac propria nobilitate. Solet tamen concedi etiam illis, qui ut nobiles habentur, & vivunt more nobilium.

47. Secunda: in privato domus tuæ solite habitationis in Diocesi N. Oratorio. Jam dictum est supra privilegium esse personale, nisi aliud exprimat. Exprimitur autem in hac clausula locus, ut designatus visitetur determinate ab Ordinario. Esto domus, seu habitatio mutetur intra Diocesim, durat indultum Oratorii; non extra Diocesim.

48. Tertia: Decenti muro structo, & ornato, omnibus usibus domesticis libero. Hoc est, oratorium sit segregatum ab aliis locis prophani triplici muro a lateribus cum janua, quæ deserviat pro quarto. Item sit decenter ornatum, ad sacrificium convenienter celebrandum. Nec supra se habeat aliud cubiculum, in quo quis habitet, aut dormiat. Si privilegiatus velit amplius uti oratorio, ejus locus statim fit prophanus, & potest converti in alios usus domesticos.

49. Quarta: Per Ordinarium loci prius visitando, & approbando, ac de ipsius Ordinarii licentia, ejus arbitrio duratura. In defectu Ordinarii sufficit visitatio, & approbatio Vicarii Capitularis pro Sede vacante. Semel approbato loco, seu orato-

rio, nequit Ordinarius suspendere executionem, neque iterum visitare, nisi nova causa exurgente; & solum pro casu novæ causæ additur clausula: *ejus arbitria duratura*. Hoc est, si non conservetur oratorium cum primæva decencia, & munditia. Si mutetur domus intra Diæcesim, vel oratorii locus, exigitur nova visitatio, & approbati loci.

50. Quinta: *Una Missa pro unoquoque die*. Hoc est, quod sola unica Missa in unoquoque die valeat celebrari; nec potest alia eo die dici, & ideo jubetur Sacerdoti, *ut optime se informet, an alia Missa celebrata fuerit*. Hac enim celebrata, nec Episcopus valet ibi celebrare ex decreto Clementis XI. Potest tamen Episcopus erigere oratorium intra, vel extra Diæcesim in quacumque domo occasione visitationis, aut itineris hospitio recipiatur, ex declarat. Benedicti XIV. in sua Encyclic. edit. 2. Junii 1751.

51. Sexta: *in eadem domo celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit*. Hoc est, quod in eadem domo privata, & pro eadem familia non sit nisi unicum oratorium, unica licentia, & unica Missa. Si autem pro secunda Missa recurritur, concedi solet novo indulto. Si in eadem domo degant dux, aut tres familia nobiles, invicem segregatæ, unaquæque valet suum indultum obtinere.

52. Septima: *Per quemcumque Sacerdotem, ob Ordinario approbatum, sæcularem, seu de Superiorum suorum licentia regularem*. Hoc inquit quod Sacerdos sit cognitus, & immunis a prohibitione celebrandi, non exterius, incognitus, ad præcavenda inconvenientia.

53. Octava: *jurium Parochialium præjudicio*. Hoc indicat, ne in oratorio fiant oblationes, aut quid Parochis præjudicans. Neque Eucharistia, etiam extra tempus Paschale, valet ibi ministrari absque licentia Ordinarii, quæ, saltem semel pro semper, prius obtineri debet, juxta Benedicti XIV. in suprascripta Encyclic. quæ incipit: *Magno cum animi*.

54. Nona: *Exceptis diebus Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini, nec non aliis solemnioribus diebus*. Sola prima dies triplicis Paschatis excipitur. Inter solemniores autem intelliguntur excepti dies Epiphaniæ, Ascensionis,

Annunciationis, & Assumptionis B. Virginis, omnium Sanctorum, nec non Apostolorum Petri, & Pauli, ac titularis Ecclesiæ loci. Ita in laudata Encyclicâ ejus sapientissimus Auctor. Numerantur etiam inter dies exceptos feria v. in Cæna Domini, esto in ea incidat festum S. Joseph, si enim incidat festum Annunciationis, duplici titulo est exceptus, & eodem modo Sabbatum factum, tum propter generalem prohibitionem, celebrandi Missam privatam, tum propter solemnitatem Paschalem, jam incipientem. Ratione infirmitatis, vel gratiæ specialis solet extendi privilegium Missæ, etiam, ad dies exceptos, quo in casu potest sacerdos deputatus dicere tres Missas in oratorio die Nativitatis.

55. Decima: *In tua & familia tuæ præsentia celebrari facere*. Præscribuntur duo, Primum, requiri præsentiam alicujus personæ, pro qua principaliter conceditur indultum, nominaturque a tergo, vel in fronte Brevis. Secundum, comprehendi in privilegio ejus familiam; in hac autem intelligitur pater, mater, uxor, filii, filiæ, nurus, gener, nepotes, alique agnati, & affines indultarii, dummodo omnes sint ejus commensales, unam familiam constantes, atque sub regimine ejusdem permaneat; at non sufficit præsentia alicujus ex his, neque simul omnium, nisi adsit aliquis privilegiatus ex nominatis proprio nomine in Brevis. Ita Benedictus XIV. in Constit. *Cum duo nobiles* data 1741.

56. Undecima: *Et hospitum nobilium tuorum præsentia*. Duas pariter requirit hæc clausula conditiones. Prima, quod sint hospites, hoc est, exteri, seu ab alio loco advenientes. Secunda, quod sint nobiles; non quidem tam proprie, ac dum dicitur in principio *ex nobili generi*, sed sufficit quod sint nobiles ex privilegio, ex dignitate, munere, vel ex alio capite, inducente jus, ut tamquam nobiles habeantur, & ita denominentur.

57. Duodecima: *Volumus tamen, quod familiares servitibus tuis tempore dicte Missæ, actu non necessariis, ibidem Missæ hujusmodi interessentes, ab obligatione audiendi Missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur*. Hæc clausula ex diametro opponitur doctrinæ traditæ a Concina in hac materia; absolute

te enim affirmat, quod famuli, servi, & ancillæ satisfaciunt præcepto Missam audiendi. Solum autem famulis tunc necessariis id conceditur. Unde ejus affirmatione possunt plures falli, putantes operari bene, & præcepto satisfacere. Fateor mihi negotium fassessere illa verba, *actu non necessariis*. Existimo tamen moraliter, & per distributionem accomodam esse intelligenda, juxta qualitatem personæ privilegiatæ, & diversitatem locorum. Non enim decet dominam relinquere solam in actu Missæ, esto actu famula non videatur necessaria, & idem est de domino. Unde illi familiares, proximius utriusque regulariter associantes, & inservientes, non reputo exclusos a privilegio. Cæteros familiares exclusos manere satis declarat hæc ultima clausula.

PUNCTUM III.

De Ecclesiæ pollutione, execratione, ac de ejus reconciliatione.

58. Inq. 1. Quot modis polluat Ecclesia? R. Quinque modis pollui, supposita notorietate facti. 1. Per effusionem sanguinis humani, non puerilem, sed mortaliter gravem. 2. Per homicidium graviter peccaminosum. In utroque vero casu requiritur, quod percussio fiat in ipsa Ecclesia; si enim fiat extra, non percussus in eam egrediatur, & effundat sanguinem, aut moriatur, non manet polluta. E contra polluitur, si percussus in Ecclesia exeat foras, & obeat, aut sanguinem effundat, ac etiam per suspendium, esto alias justum, in Ecclesia exequentum. 3. Per quamlibet effusionem illicitam, & notoriam humani seminis. 4. Si in ea sepeliatur excommunicatus vitandus. 5. Si pariter quilibet non baptizatus in ea sepeliatur; quidam tamen sentiunt non pollui per sepulturam pueri non baptizati, nec per demortui in utero matris, & simul cum ea sepulti. In tribus primis casibus requiritur culpa, in duobus posterioribus sufficit factum publicum. Polluta Ecclesia, polluitur cimiterium, sed non e contra.

59. Nomine Ecclesiæ non comprehenditur ejus tectum, turris, campanile, camera, aut cubicula ei adjuncta, nec sacristia suis parietibus divisa, nec caverna sub

Ecclesia, nisi sit deputata ad sepeliendum, aut celebrandum Divina. Unde licet in his locis exercentur præfata delicta, seu actiones, non manet Ecclesia polluta. Nec nomine Ecclesiæ veniunt Oratoria privata.

60. Inq. 2. Quando dicatur Ecclesia execrata? R. Quod Ecclesia execratur, quando ejus parietes simul omnes, vel quoad majorem partem corruunt, vel eorum crusta, aut major pars simul auferatur, quia consecratio parietum crustis inerat: erg. Crusta simul deficiente, deficit consecratio, & remanet execrata Ecclesia. Potest renovari tota Ecclesia quin execretur, si paulatim, & successive fiat; nam eo ipso, quod pars denuo adveniens sit minor, per accessum ad majorem præ-existentm consecratam, censetur consecrata. Execrata Ecclesia non ideo execrantur altaria, nec e contra, quia solum execrantur subjectum destructum, sive sit Ecclesia, sive altare, quin unum ab alio dependeat in execratione, uti dependet in pollutione.

61. Inq. 3. Quis possit consecrare, aut benedicere Ecclesiam, & reconciliare pollutam, vel execratam? R. Quod Ecclesia potest consecrari ab Episcopo, & ex commissione Pontificis a quolibet Sacerdote: benedici vero potest a sacerdote simplici cum licentia Episcopi, & aqua ab eodem Episcopo benedicta. Unde polluta, seu execrata Ecclesia consecrata, solum ab Episcopo reconciliari valet. Si vero antea tantum fuit benedicta, reconciliari potest a quovis Sacerdote cum dicta licentia, & aqua prout requiritur ad primam benedictionem: Barbosa cum aliis asserit posse Prælatos regulares suas Ecclesias, quacumque ex causa violatas, reconciliare aqua per Episcopum benedicta, quam, & ipsi benedicere possunt, dum Episcopus per duas dietas abest ex privilegio concessio Minoribus a Leone X. Notorium est privilegium regularibus concessum benedicensi vestimenta ecclesiastica, Ecclesiæ, & Oratoria, & eas pollutas reconciliandi aqua benedicta ab Episcopo Dicecesano, & hoc reuente ab alio Episcopo, quod indulsit Bened. XIII. Dominicis die 26. Maii 1727. Bened. XIV. ait quod Ecclesia prius non consecrata valet reconciliari a quovis Sacerdote aqua bene-

beneficta. In syn. lib. 13. cap. 15. n. 2.

62. Ecclesia polluta, aut execrata, non reconciliatur per celebrationem Missarum, sed debet reconciliari juxta ritum præscriptum: sicut enim a principio non consecratur, aut benedicitur per celebrationem in ea, ita nec post execrationem, aut pollutionem, per quam prima consecratio, aut benedictio amissa fuit. Unde solum in aliquo casu gravis, & urgentis necessitatis potest celebrari in Ecclesia polluta, aut execrata, quin prius denuo consecratur, aut benedicitur. Si, Sacerdote celebrante, violetur Ecclesia ante canonem, omittat Missam; si post canonem, eam prosequatur. Si timeatur incursum hostium, aut alluvionis, vel ruina templi ante consecrationem, relinquat sacrum; post consecrationem valet accelerare summptionem sacramenti, omnibus aliis omissis.

De altari communi, & privilegiato.

63. Inq. 1. Quid intelligatur nomine altaris, & quotuplex sit? R. Intelligi proprie illam partem mensæ, in qua celebrans communiter reponit calicem cum patena, & hostia consecrata. Ideo debet esse lapidea, & consecrata prius ab Episcopo: gravissimeque peccaret Sacerdos, qui aliter celebraret. Altare est duplex aliud fixum, aliud movibile, quod *Ara* nuncupatur. Fixum est tota mensa constans ex uno, vel pluribus lapidibus, quæ firma perseverat, & quia totum consecratur in qualibet ejus parte potest sacrificari. Amittit consecrationem, dum non retinet eam formam, sub qua fuit consecratum; semper tamen ac eam conservet, potest in eo celebrari, licet unus aut alter lapis dimoveatur.

64. Altare movibile, quod etiam dicitur portatile, seu viaticum, quia portatur de uno loco in alium, debet fieri ex unico lapide significante altare Christi, in quo sola est una persona. Si autem, jam consecratum, dividatur in duas partes, quarum quælibet apta sit sustinere calicem, patenam, & hostiam, potest pro duplici ara deservire. Tunc ergo solum perdit consecrationem, quando in nulla ejus parte potest commode collocari calix cum

patena, & hostia. Hic obiter vellem monere eos, ad quos attinet, quod *Ara* fierent completa, & satis ampla, aut late, nam angustæ Sacerdotes scrupulis angunt. Atque eadem ratione, quod aliquantulum promineant a mensa, ut per tactum dignoscantur.

65. Inq. 2. An regulares hodie ubique uti possint altari portatili? R. Quod licet antiquitus regulares pluribus privilegiis cumulati, ac decorati a summis Pontificibus poterant celebrare in altari portatili, quod secum ferebant, ut patet ex cap. *In his 30. de priviil.* hodie minime possunt, ut constat ex decreto Clem. XI. die 15. Decemb. 1703. ubi simul declarat nullum etiam Episcopum posse celebrare in oratoriis privatis, si eodem die jam una Missa fuerit celebrata, nec post meridiem, aut diebus in privilegio exceptis. Unice valent regulares celebrare extra Ecclesias in altari portatili in terris infidelium, & hæreticorum, ubi Ecclesiæ deficiunt. Ita Benedict. XIV. in supra laudata encyclica.

66. Inq. 3. Quantum duret indultum altaris privilegiati? R. Durare per tempus in rescripto designatum, sive perpetuo, sive per septennium. Hoc autem septennium computandum est, non a die publicationis per Ordinarium factæ, sed a die gratiæ Romæ concessæ. Clausula apponi solita in rescripto: *dummodo in dicta Ecclesia quotidie tot Missæ celebrentur*, suspendit gratiam, si tempore Adventus, & Quadragesimæ, vel ratione infirmitatis deficit numerus Missarum, præscriptus in dicta Ecclesia continuo per plures dies; non autem quia uno, aut altero die raro deficiat. Neque suspenditur privilegium hoc per generalem suspensionem indulgentiarum, quæ fit anno Jubilæi. Omnia ita sunt declarata a Sac. Congreg. Concilii, & Indulgentiarum. Nota omnia altaria esse privilegiata pro die commemorationis omnium fidelium defunctorum, ex indulto Clem. XIII. dat. 19. Maii 1759. in quo cavetur non posse recipi ob hanc rationem majus stipendium.

67. Inq. 4. An translato altari de loco in locum legitima auctoritate, duret adhuc privilegium? R. Durare, si transferatur cum eadem nomenclatura, v. g. Beat. Virg. quia tunc est idem formaliter altare.

re. Et idem est, si imago ob vetustatem renovetur. Imo etiam si renovetur paulatim, & successive totum altare sensim destructum, manente semper sub primæva invocatione mysterii, aut sancti, quia privilegium conceditur altari sub tali titulo sancti, aut mysterii.

68. Inq. 5. An Sacerdos, obligatus celebrare in altari privilegiato, teneatur ad id sub gravi? R. affirm. Quia privat alias creditorem indulgentiæ, ratione altaris ei concessa. Idem teneas, quando in præfato altari potest dici Missa de requiem; non enim est certum aliter lucrari indulgentiam: quando vero juxta rubricas non potest celebrari, valet Missa de Sancto, aut de Dominica juxta decretum Alexandri VII. Idem est dicendum de Sacerdote, non celebrante in quocumque altari præfinito a fundatore, si sæpius hoc fiat. Sacerdos obligatus titulo stipendii, vel Capellanæ dicere Missam de Beat. Virg., aut de Requiem, satisfacit integre, celebrando de Sancto in simplici, de quo fit officium, si promissio non præcessit, quia melius est conformari universali legi Ecclesiæ, quam ob voluntatem petentis permissione, dicendi Missam votivam, uti. Æque enim, aut melius sic impetrabit a Deo finem optatum, se conformando ritui ab Ecclesia præscripto, Quia ratione Missæ votivæ, & S. Gregorii nuncupatæ, debent dici juxta ritum, & officium occurrens. Nec est necesse, ut semper de Requiem, vel omnes triginta Missæ ab eodem Sacerdote celebrentur. Sufficit, quod dicantur 30. diebus continuis. Non autem discontinuantur ob triduum hebdomadæ majoris. Quidquid opponatur in Missa rubricis missalis, ut superstitiosum vitandum est. P. Concina ait has Missas non plus aliis valere; quod si verum esset, earum petitio, & continuata celebratio supervacanea foret.

PUNCTUM V.

De altaris ornatu, vasis, ac de vestibus sacris.

69. Inq. 1. Quis ornatus altaris requiritur ad celebrandum? R. Primo, requiri triplicem tobaliam lineam benedictam, quarum una saltem totam mensam coope-

riat. Deinde corporale lineum, etiam benedictum, cum parva pallia ejusdem rationis, qua calix operitur. Subinde purificatorium lineum, quod licet bis dicat Concina debere esse benedictum, Gavantus, & alii occulatores Concina, non inveniunt in rituali ejus benedictionem. Benedictio igitur ejus non de præcepto, sed de consilio est. Præterea requiritur duplex lumen cæretum, vel saltem unum; quod si haberi non possit cæretum, sit sebaceum, aut demum in necessitate olearium: sine quo, etiam ad dandum viaticum, celebrari non potest propter conformitatem universalem ritus; debita reverentiæ tanti sacramenti. Requiritur insuper Missale, saltem canonem continens; nullus enim fidere debet suæ memoriæ in re adeo gravi. Imo licet memoria canonem firmiter teneat, debet alium librum loco Missalis coram se ponere, ad vitandam notam. Impotens ad legendum, nequit celebrare absque dispensatione Pontificis, & tunc privatim.

70. Denique in altari debet adesse crux cum imagine crucifixi, non super tabernaculum, sed in ipso altari inter candelabra, seu ad summum paulo superius. Non sit ita parva, ut oculos adstantium pene effugiat, sed talis, ut a populo videri possit. Ubi adsit consuetudo in oppositum, quando sacramentum publice prostat, valet sine illa celebrari: sicut etiam in necessitate, ne populus Missa careat. Ex rationabili alia causa etiam idem fieri valet, quia non obligat sub gravi observatio hujus rubricæ.

71. Inq. 2. Quid dicendum de vasis sacris? R. Quod requiritur calix cum patena ex auro, vel argento, aut saltem in necessitate ex stanno. Antea erant Sacerdotes aurei, & calices lignei: nunc Sacerdotes lignei, & calices aurei. Sufficit quod cuppa calicis sit aurea, argentea, vel saltem stannea, esto pes sit ex ære, aut ferro. Imo dum calix est argenteus non est simpliciter, aut sub gravi necessaria deauratio interior, esto semper sit curanda, ut prescribit rubrica: non est enim ratio, cur tantum aurum impendatur in conviviis prophanis, & deficiat, saltem modicum pro convivio caelesti. Numquam in calice ligneo, aut vitreo celebrari valet. Olim ob summam Ecclesiæ pauperum li-

cebat celebrare in calice ligneo: Zacarias Papa id vetuit, & jussit celebrare saltem in vitro; denique Urbanus I. inexit patenas, & calices argenteos, & aureos, ut ait Angel. 3. p. 9. 84. a. 3. ad 6. Non ammittitur consecratio, amissa deauratio: quia tota cuppa calicis consecratur. Si autem fiat nova deauratio, ne sanguinem immediate tangat aurum non consecratum, debet denuo consecrari ab Episcopo, vel alio ex privilegio Pontificis. Consecrare enim solum Episcopis competit jure ordinario, esto alii possint ex speciali privilegio Papæ. Requiritur etiam velum calicis cum bursa corporalium, quæ benedictionem non postulant, neque ipsa necessario, sed ex decencia postulantur. Pixis, seu custodia ubi corpus Domini asservatur, & in processionibus defertur, debet benedici, sed simplici benedictione absque unctione.

72. Inq. 3. Quot vestes sacræ requirantur pro Missa celebranda? R. Sex requiri: *Amictus, alba, cingulum, manipulum, stola, & planeta*, seu *casula*. *Amictus* significat loriam, seu galeam spirituales ad expugnandos diabolicos incursus, & est velut antiquum Ephod. *Alba* indicat cordis munditiam, & interiorum albedinem, quam consequuntur dealbati in sanguine Agni. *Cingulum* denotat puritatem, & continentiam. *Manipulum* innuit tolerantiam laborum, & fletum præsentem, quibus mereamur æternam mercedem, & exultationem. *Stola* est signum justitiæ, in primo Adamo amissæ, & in secundo recuperatæ. Vel juxta alios est signum Crucis. *Casula* denique, quæ olim totum cooperiebat Sacerdotem, significat caritatem, quæ omnes virtutes protegit, informat, ac illustrat: vel jugum amoris, sicut stola jugum crucis, seu obedientiæ. Et hæc de morali significatione desumpta ex precibus pro unaquaque veste ab Ecclesia præscriptis. Aliæ referuntur ad Christum, ejusque Passionem denotandam, quæ piissimæ sunt, sed brevitatibus gratia omittuntur. Dicitur vestes debent sub gravi esse benedictæ, ab habente legitimam facultatem. Debent etiam esse mundæ, maxime corporalia, & purificatorium, circa quod gravis obligatio incumbit Parochis, & sacristis.

73. Inq. 4. An aliquando liceat cele-

brare sine vestibus sacræ? Resp. Numquam licere, adhuc ratione cujuscumque necessitatis, nec ad vitandam mortem, ob universalem consuetudinem, & observantiam totius Ecclesiæ. Potest tamen in casu necessitatis Sacerdos uti alia stola pro manipulo, aut cingulo; vel manipulo longo pro stola. Tunc earum benedictio amittitur, dum perduat primam formam, ita ut deservire nequeant; non vero esto laventur, aut attritis aliquid addatur. Dum autem jam deservire non valent, non sunt in usus prophanos convertendæ, sed, ut de lignis altaris, candelabris, & sacræ vestibus disponitur in cap. *Altaris*, debent cremari, & cineres in Baptisterium inferri. Preces a rubricis præscriptæ, dum Sacerdos se induit vestibus sacræ, obligant sub veniali, atque idem de orationibus post Missam in gratiarum actionem, quæ incipiunt: *Trium puerorum*, ut tenet communior sententia, quia non majori obligatione ea rubrica communiter recepta est.

74. Sub eadem obligatione debet Sacerdos calceis uti in celebratione, secluso aliquo casu necessitatis. At sub gravi debet uti ministro, & solum ad dandum Viaticum, & ne populus in die festo Missa careat, poterit sine ministro celebrare. Verum esto minister non bene pronuntiet, aut solecismos proferat, Sacerdos prosequatur serenus. Numquam valet foemina Sacerdoti in altari ministrare. Ajunt tamen aliqui posse feminam ex loco remoto Sacerdoti respondere, sicut licet monialibus ex choro. Sacerdos secularis nequit impune accedere ad celebrandum sine propria veste talari, neque nimis comptus, aut crispatus, sed proprio habitu gravi, devoto, ac decenti. Neque valet aliquis celebrare capite aperto, aut cum capillitio absque licentia summi Pontificis, cui privative hæc facultas est reservata. Neque cum anulo in digito, cujus usus prohibitus est in celebratione, etiam Canonicis, & Protonotariis Apostolicis.

75. Sacerdos non lotis facie, & manibus celebrans, culpam venialem committit. Imo nec laicum decet accedere ad Eucharistiam sumendam, quin prius lavet manus, & faciem; aliter faciens, tepidam fidem erga tantum sacramentum demonstrat. Sacerdos indigens baculo, ut ad altare

accedat, debet celebrare privatim; cogente vero necessitate, etiam publice celebrare valet, si omnia, ad Missam spectantia, rite possit. Similiter qui peragere cætera valet, præter elevationem hostiæ, & calicis, privatim celebrare potest; nam hic defectus non reputatur tanti momenti, ut Sacerdos semper abstinere debeat a celebratione. Impotens celebrare, nisi sedens, eget dispensatione Pontificia cum causa gravissima, & licet quis dixerit id esse contra jus divinum, certum est oppositum, quia primus celebravit, *recumbens cum fratribus*, subinde alii celebrarunt, sedendo, ut fertur de Honorio IV. de Pio II. & Pio III., & novissime de Benedict. XIV. Etiam cum penitus cæco aliquando Papa dispensavit, ut adstante alio Sacerdote, celebraret, ut de quodam Episcopo, qui assistit Concilio Tridentino, testatur Soto, ut ait Bened. XIV. in consultatione de Missa sedentaria. Verum qui nequit recitare ea, quæ Evangelium præcedunt, debet penitus abstinere, quicquid alii sentiant; quia omissio partis adeo notabilis deformitas gravis est in celebrante, esto non sit gravis omissio, respectu præcepti Missam audiendi juxta plures.

PUNCTUM VI.

De modo in celebratione servando.

76. Inq. 1. Quid Sacerdos debeat observare in celebratione? R. Quod, cum omnibus in rebus sit pulcherrimus modus, potissimum in celebratione hujus venerandi sacrificii est modus observandus. Hic autem modus nullus aptior illo, quem rubricæ præscribunt. Unde Sacerdos tenetur scire, & aliquoties eas legere, quia cum sufficit scivisse pro examine in ceremoniis, sed debet illas recollere, tamquam regulas, quibus quotidie indiget. Unusquisque enim tenetur scire, & frequenter legere regulas suæ professionis; sed præcipue regulæ Sacerdotis sunt rubricæ missalis: eas ergo tenetur legere, & frequenter recollere. Ita non se reperiet turbatum, & afflictum in altari, dum inopinatum quidquam ad sacrificium spectans sibi acciderit. In illis quippe clarius, quam in Theologis omnia necessaria inveniet. At e contrario perturbatus, & imperitus in-

Et alius requisitis pro celebratione. 65

currere potest in plures defectus, culpabiles utique, ex ignorantia antecedenti.

77. Sacerdos igitur in celebratione debet observare modum gravem, ac devotum in verbis proferendis, in crucibus formandis, in genuflexionibus, reversionibus, & cæteris actionibus, quibus perficitur incrementum sacrificii. Considerans ex una parte se representare personam Christi in altari, & ex alia ipsum Dominum suis manibus contrahere. Præsentes teneat illas primas litteras *A. B. C. D. E.* hoc est Missam esse dicendam *alte, bene, clare, distincte, & exacte*. Concina num. ult. de sacrific. pro *B.* ponit breviter, sed melius mihi videtur ponendum *bene*; nam celeritas non præcipitur in hac mensa, sicut in antiqua. Exod. *comedetis festinanter*, quia illa erat *Phase*, seu transitus, hæc vero terminus; nec festinatio congruit majestati tanti sacrificii. Unde graviter peccat Sacerdos, qui nimia celeritate, vel legens, vel caeremonias exercens, indevotionem adstantibus ingerit. Debet legere quædam *alte, clare, & distincte*, elevando vocem taliter, quod possit percipi a circumstantibus, simul cavendo, ne alios celebrantes perturbet: quædam media; quædam denique submissa voce, prout rubricæ præscribunt. Unde legitime inferas voluntariam distractionem notabilem in celebratione esse peccatum grave; incompatibilis enim est cum attentione, & devotione, debitum tanto sacrificio.

78. Inq. 2. An Sacerdos debeat sub gravi observare rubricas missalis? R. Rubricas esse in duplici differentia. Aliæ dicuntur *præceptivæ*, aliæ *directivæ*. Appellantur *præceptivæ*, quæ vel ratione materiae, vel mysterii significati, obligant sub gravi; ut celebrare in loco sacro, vel cum vestibus sacræ, vel miscere parum aquæ vino, aut fractio hostiæ, & similia. *Directivæ* nuncupantur, quæ juxta communem, vel probabiliorem sententiam tantum obligant sub levi, ut recitare privatim matutinum ante Missam, dicere orationes præscriptas ante, & post illam; elevatio, extensio, aut junctio manuum, & alia hujusmodi. Igitur Sacerdos debet sub gravi observare rubricas præceptivas: directivas vero sub levi, secluso contemptu, aut alio motivo extrinseco. Quilibet debet celebrare Missam juxta ritum pu-

hæc illius Ecclesiæ, in qua celebrat, esto non conveniat cum officio, quod ipse recitat; tenetur quippe se conformare publico ritui Ecclesiæ, & colori, quo illo die utitur. Non licet Sacerdoti exire ad communionem ministrandam cum paramentis nigris, valet tamen in Missa de Requiem consecrare formulas, ac eas distribuere involentibus communicare. Qua de re in rubricis præ Missis defunctorum hæc clausulam Urb. VIII. adhibendam præcepit: "Si, qui sunt communicandi, eos communicet, ante quam se purificet." Cui consonat decretum S. Congregationis l. Sept. anno 1741, quod sic se habet: "In Missis defunctorum, quæ in paramentis nigris celebrantur, non ministrantur Eucharistia per modum sacramenti, nec licet cum particulis præconsecratis, extrahendo pyxidem a custodia: potest tamen ministrari per modum sacrificii, sicut est, quando fidelibus præbetur communicatio cum particulis intra eandem Missam consecratis." Quod quidem decretum, inter authentica, & cum authoritate seu originalibus, quæ stant in regestis decretorum memorata S. R. C. diligenter collata, traditur a clarissimo Adjudicatore R. P. Merati, tom. 1. in 3. appendice decretorum n. 849. cum exclusione aliorum, de quorum authenticitate non constat ex prædictis regestis.

79. Inq. 3. An Sacerdos, omittens aliquam partem Missæ, peccet graviter? R. Quod partes Missæ aliæ sunt ordinariæ, & semper dicuntur, ut confessio, oratio, Epistola, Evangelium, offertorium, præfatio, canon, pater noster, & agnus Dei. Aliæ sunt extraordinariæ, tantum pro quibusdam diebus; ut gloria, numerus orationum, sequentia, credo, diversitas præfationum, tractuum, & quarundam additionum canonis. Igitur omittens partem ordinariam graviter peccat: non ordinariam solum leviter. Omittere in canone unum, aut duo nomina sanctorum, non est grave; si autem voluntarie aliquid, etiam aliis leve, omittatur in Canone, corrumpe sensum ejus, grave peccatum est. Nam quidquid alii sentiant, gravis deordinatio mihi videtur. Idem asserunt quidam contra alios, de non legente privatim Epistolam, vel Evangelium in Missa solemnibus, in qua a ministris canuntur.

Accipiens stipendium pro Missa de Requiem, potest sine gravi culpa dicere Missam diei. Imo debet, si officium est duplex. Dicere Missam votivam, aut defunctorum frequenter pro libito die festivo, aut Dominica reputamus lethale.

80. Nota tamen, quod si tot partes leves omittantur in eadem Missa, ut simul sumptæ constituent materiam gravem, esset peccatum grave, ut patet in recitatione officii divini. Pariter omittere gloria, aut credo in magna solemnitate grave reputatur. Item, omissio purificationis calicis, & patenæ post sumptionem. At uti sola aqua, omissio vini, in purificatione, & ablutione, absque causa venialis, cum illa nulla culpa est. Idem dicunt plures, & cum eis Concina de omittente in quatuor temporibus *faciamus genua* cum secundariis collectis, & epistolis, & de sequentis quibuscumque. Omittere semel collectam, seu orationem principalem in Missa dicunt esse veniale, ter vero lethale. Quod dicitur de omissione intelligendum est respectivo de additione, nihil enim potest addi ritui Missæ ab Ecclesia prescripto, ideo si quid notabile addatur prescriptum in publico est lethale; si aliqua devotio præcum in secreto, erit indiscreta, & culpa venialis, intellige de orationibus vocalibus.

81. Inq. 4. An Sacerdos aliquando possit Missam jam inceptam interrumpere? R. Quod absque justa causa nunquam potest: dantur tamen plures causæ, ob quas valet; ut si etiam post consecrationem opus sit baptizare moribundum, quin alius possit supplere; vel audire ejus confessionem; vel etiam ministrare viaticum, vel extremam unctionem, si aliud sacramentum recipere non valet, vel subvenire gravi necessitati ipsius Sacerdotis, quo etiam in casu, si redire possit, debet perficere sacrificium. At si consecratio fuit facta, & redire nequeat, debet alius etiam non jejunus, si jejunus non adsit, sacrificium perficere. Si excommunicatus vitandus Ecclesiam ingrediatur, Missa inchoata, debet foras eici; si autem nequeat, & consecratio non est acta, omittat Missam; si peracta est, moneat adstantes, ut ab Ecclesia exeant, & Sacerdos cum ministro sacrificium perficiat, usque ad sumptionem, & ad cætera prosequenda pergat in

sacristiam, nisi etiam eam adeat vitandus; tunc enim omittenda sunt.

82. Inq. 5. Quantum temporis insumere debeat Sacerdos in Missa celebranda? R. Quod quilibet Sacerdos consulat statuta suæ Diocesis, vel religionis; nam ea observando, satisfacit proprio muneri. Generatim autem loquendo, saltem tertiam partem hore insumere debet in celebratione: de Sacerdote enim nimis propeperanter celebrante potest inquiri cum Tertulliano: *sacrificat, an insultat?* Igitur nec nimis festinus, nec nimis morosus sit Sacerdos in Missa, quam publice celebrat, sed gravis, modestus, ac diligens, ita ut audientes devotione, non tædio, afficiat. Plures nollunt Missas longas, nisi post mortem: verum sciant, quod qui volunt Missas breves in hac vita, penas longas patientur in altera. Sed pius Sacerdos consideret, an habeat toto die aliud negotium majus, excellentius, aut utilius peragendum? Et cum non habeat, nec habere possit, curet hoc, tamquam maximum suæ dignitatis, rite perficere.

83. Inq. 6. An liceat celebrare Missam vernacula lingua? R. neg. ita Bened. XIV. in *syn. lib. 6. cap. 10. num. 6.* docens, & dicens: *Ubi nullus quoad vernaculam sacrarum scripturarum lectionem abusus irrepit, aut sileant Episcopi, aut solum quartæ indicis regulæ urgeant complementum. Ubi vero abusus semel innotuit, etiam synodali decreto radicitus evellatur. Concilium Trid. sess. 22. de sacrificio Missæ cap. 3. declarat, non expedire, ut vulgari idiomate Missæ sacrificium offeratur.* Erit autem, qui corrigere præsumat decretum venerandum Concilii gravissimi Tridentini? Erit, qui putet se melius, aut plus scire, quod expedit regimini Ecclesiæ præ illis Patribus in Spiritu Sancto pro salute fidelium congregatis? Judicent prudentes.

PUNCTUM VII.

De defectibus in Missa occurrentibus.

84. Inq. 1. An Sacerdos debeat supplere defectus in Missa occurrentes? R. Defectus posse esse substantiales, vel accidentales. Substantiales sunt, qui attinent ad essentialiam, aut substantiam sacrificii, ut si circa materiam, formam, & intentionem Sacerdotis contingant. Accidentales

vero, qui salva manente substantia sacrificii, sepe occurrunt. Cum defectu accidentali fit sacrificium, esto cum peccato, aut sepe etiam cum scandalo, sed sine ullo peccato, si ex oblivione invincibili contingat. Sit itaque regula generalis, quod defectus substantiales semper debent suppleri, si possint: defectus vero accidentales non semper; ut si omissa gloria, aut oratione, jam legat Sacerdos Evangelium, quando advertit, non debet supplere, sed ponere de defectu, si fuit culpabilis, quia illum velle supplere esset pervertere ordinem Missæ, & bis errare. Si autem post pauca verba advertat defectum, suppleat illum; si absque nota possit, alias omittat.

85. Similiter si hostia apposta sit ex pane fermentato, vel incepta corrumpi, vel fracta, aut quid simile, si advertat ante consecrationem, remota illa, aliam ponat Sacerdos, & facta oblatione, saltem mente, prosequatur. Si vero post consecrationem advertat, nihil est supplendum, sed tranquille prosequendum, supposito, quod nihil substantiale deficit sacrificio. Et hoc est intelligendum de omni defectu accidentali, ut si post consecrationem recorderet Sacerdos non miscuisse aquam vino. At defectus substantialis, etiam post consecrationem, supplendus est, si possit. Unde.

86. Inq. 2. Quid faciat Sacerdos advertens apposuisse aquam pro vino, aut hostiam non triticeam? R. Quod si advertat ante consecrationem, debet apponere aliam hostiam, & aliud vinum; ita ut si non adsit, debeat omittere sacrificium. Si vero adsit, offerat, & consecret, incipiendo ab illis verbis: *qui pridie, quam pateretur.* Si autem id advertat post consecrationem unius speciei, amota invalida, debet apponere, offerre, & consecrare aliam validam; si hæc non possit, nec aliquandiu spectando, haberi, procedat in absolute Missa, omittendo verba, & signa ad speciem, quæ deficit, spectantia.

87. Tandem si hoc advertat post sumptionem aquæ pro vino, apponat utramque materiam veram, utramque offerat, consecret, & sumat, licet jejunus non sit, quia præponderat perfectio sacrificii. Vel si Missa celebraretur in publico, ubi plures adsunt, ad vitandam notam, apponat vinum cum gutta aquæ, & facta oblatione

saltem mente, consecrat incipiendo a verbis: *simili modo*, & tandem sumat, & prosequatur cætera. Ita disponit rubrica Missalis de defectu vini num. 5. Verum quando ex defectu hostiæ, quia non erat materia valida, aut quia ex defectu intentionis non fuit consecrata, post sumptionem calicis alia est consecranda, & utraque species debet denuo consecrari, ut servetur ordo consecrationis. Nota, quod in his casibus si fuit oblata materia, esto invalida, debet reponi in vase, aut alio loco decenti, ut post abluionem sumat eam Sacerdos, vel alius, vel reverenter conservetur.

88. Inq. 3. Si aliquid animal decidat in calicem, quid faciendum? R. Vel animal est venenosum, vel non; aut prævidetur ante consecrationem, vel post illam? Si animal est venenosum, & hoc advertit Sacerdos ante consecrationem, projiciat vinum in locum decentem, & abluto calice, aliud vinum debet ponere, miscere cum gutta aquæ, offerre, & consecrare. Si autem id advertat post consecrationem, debet, amoto primo calice, sumere alium cum vino, & gutta aquæ, offerre, consecrare, & statim sumere juxta proxime dicta. Vinum autem prius consecratum, exciccandum est stupis, quæ, arefactæ, debent comburi, & cineres cum abluione in piscinam projici.

89. Verum quando musca, aut aliud animal non venenosum in calicem jam consecratum decidit, si commode a Sacerdote possit deglutiri, debet cum vino consecrato sumi propter reverentiam sacramenti. Si vero nequeat sine detrimento, aut periculo vomitus, debet caute extrahi medio acu, aut alio instrumento mundo, diligenter lavari post Missam, ac ablutio cum cineribus in piscinam profici. Si denique Sacerdos non audeat sumere vinum, in quo fuit musca, aranea, aut aliud animal propter horrorem, nauseam, aut periculum vomitus, illud relinquat alteri Sacerdoti sumendum, & aliud juxta superius præscripta consecratum sumat, ad perficiendum sacrificium. Si infirmus, vel etiam sanus Eucharistiam acceptam evomat, & species integræ appareant, reverenter separari, & in vase decenti reponi debent, donec corruptantur, & in piscinam dimittantur. Si vero species non discernantur,

totus vomitus est comburendus, & in piscinam projiciendus.

90. Inq. 4. Quid faciendum, quando hostia consecrata disparet vento, vel aliquo casu, seu miraculo, vel quia ab aliquo animali arrepta, nequit reperiri? R. Altaram apponi, offerri, & consecrari debere incipiendo: *Qui pridie, quam pateretur*. Si autem animal, quod hostiam comedit capiat, comburendum est, & cineres in piscinam projiciendæ. Si peracta consecratione Christus in Eucharistia appareat sub specie carnis, & sanguinis apparitione permanenti, & visibili ipsi Sacerdoti, deberet consecrare aliam hostiam, & vinum ad sumendum, & perficiendum sacrificium. Vid. D. Thom. 3. par. 9. 82. ar. 4. ad 3.

91. Inq. 4. An Sacerdos in Missa teneatur dicere ea, quæ non recordatur se dixisse? R. Quod si certo ei constat omisisse aliquid essentielle, debet illud supplere, sive sit rota forma, sive aliqua ejus verba. Si probabiliter dubitet de his, suppleat ea sub conditione. Si fuerit mera non recordatio, nihil repetat etiam de forma, quia vix quis recordatur omnium, quæ fecit, aut dixit. Unde prosequatur serene Sacerdos, & præsertim si scrupulis agitur, despiciat illos, nec quidquam repetat. Sed quid dicendum de scrupulis, qui nequeunt consecrare, nisi alta voce repetant pluries verba consecrationis? Hi sunt digni commiseratione, sed permittendi non sunt celebrare saltem in publico. Vigiliis enim Papa sub gravi poena sancivit, quod Sacerdos submissa voce proferat verba consecrationis; & quod nullus non Sacerdos ea umquam dicere audeat. An vero peccent in hac repetitione, & transgressione rubricæ, quæ præscribit præfata verba esse proferenda submissa voce? Pendet ex qualitate scrupuli; ipsi enim nolent peccare, imo ne peccent, repetunt, & vocem extollunt; tamen quod non debent, faciunt. Acquiescant, & obediant superiori, aut confessorio prudenti: agnoscendo hoc esse unicum remedium utile suo labori. Facta intentione a principio cum illa oratione: *ego volo celebrare Missam*, amplius de illa non curent, nec cogitent.

CAPUT III.

De justo stipendio Missæ.

Quia stipendium Missæ est ei omnino extrinsecum, merito de eo agitur in ultimo loco. Utinam, ut par est, hunc teneat locum in intentione omnium Sacerdotum, sicut in pluribus alium non habere abs dubio credimus.

PUNCTUM I.

De titulo, & taxa stipendii.

92. Inq. 1. Quo titulo Sacerdos possit licite accipere stipendium pro Missæ celebratione? R. Titulo sustentationis: quia dignus est operarius mercede sua, & qui altari inservit, de altari vivere debent. Unde ab Ecclesie initio fideles, offerebant panem, & vinum, tum ad sacrificium celebrandum, tum ad sustentationem sacerdotum. Subinde seculo octavo, fertur, invaluisse morem pecuniam tribuendi peculiari Sacerdoti pro Missæ applicatione. Non tamen datur, ut pretium consecrationis, sed ut stipendium sustentationis. Unde licite hoc titulo accipit stipendium Sacerdos, esto sit dives, quia semel quod serviat, dignus est mercede sua. Quidquid Genettus dicere redit. Sacra Scriptura, nec Ecclesia distinguit inter Sacerdotes divites, & pauperes, sed omnibus absque exceptione, qui altari inserviunt, de altari participare concedunt. Valde tamen laudabile esset, quod Sacerdotes divites ad exemplum D. Pauli, ne quemquam gravarent, nihil accipiendo, inservirent; nec est dubitandum aliquos ita efficere. Hoc autem perfectionis Apostolicæ, non præcepti divini, aut ecclesiastici est.

93. Inq. 2. An interveniat pactum inter Sacerdotem, & dantem, seu promittentem stipendium pro Missa? R. quod semel ac uterque maneat obligatus ex justitia, unus ad celebrandum pro stipendio accepto, vel sibi promisso, & alter ad dandum, nequit non intervenire aliquod pactum, saltem implicitum, *do, ut facias*, aut *facio, ut des*. Ratio est manifesta; quia nequit dari obligatio ex justitia, aut obligatio restituendi, seu compensandi absque aliquo pacto saltem implicito; sed in

presenti adest obligatio ex justitia, tum ex parte Sacerdotis ad celebrandum, tum ex parte promittentis ad stipendium tribuendum: erg. nequit non intervenire aliquod pactum saltem implicitum. Hæc veritas ab omnibus fatenda est, ratio enim illam convincit. Nihilominus a pactis expressis in materia adeo sacra abstinendum est, ut cavetur in pluribus Conciliis præsertim in Trid. Sess. 22. de observ. & vitand. in celebr. Missæ.

94. Inq. 3. Quodnam sit justum Missæ stipendium? R. Esse illud, quod taxatur ab Episcopo in Synodo, vel extra illam, licet melius sit assignari taxam in Synodo, ut firmior permaneat. Ubi autem ab Episcopo non fuerit taxa assignata, illud reputatur justum stipendium, quod ex communi consuetudine a fidelibus dari solet juxta morem cujusque regionis; nam alicubi majus, alibi minus juxta diversitatem locorum communiter tribuitur. Minime requiritur ad justitiam stipendii, ut sufficiat ad sustentationem Sacerdotis per integrum diem; neque enim Sacerdos in celebratione integrum diem, aut majorem ejus partem impendit: sufficit igitur quod adjuvet illius sustentationis. Hinc Sacerdotes sæculares non promoventur ad sacros ordines absque titulo certo congruæ sustentationis, aliunde habito, nec regulares, nisi titulo paupertatis, qua fisi in verbo Dei congrua sustentatio numquam eis deficit. Taxa stipendii non prohibet fidelibus dare majus, nec Sacerdotibus accipere minus, si velint; sed tantum obligat fideles, ne minori stipendio velint sacrificium exigere, & Sacerdotes, ne majus taxato exigant.

95. Inq. 4. An deceat assignari majus stipendium pro Missa solemnî, & cantatæ, quam pro privata? R. affirm. Quia ad Missam solemnem, & cantatam requiritur assistentia ministrorum, & canentium, quæ omnino extrinseca, & accidentalis est sacrificio, & non requiritur in privata; idemque est de aliis circumstantiis, vel horæ incommodæ, pro Missa celebranda. Obiter nota differentiam, quæ adest inter Missam solemnem, & cantatam; nam solemnitas consistit in assistentia Diaconi, & Subdiaconi. Unde quando jubetur cantari Missa solemnem, debet cani cum assistentia Diaconi, & Subdiaconi. Dum autem solum

solum præscribitur Missa cantata, sufficit illam cantare cum assistentia Accolyti. Ita respondit Sac. Congreg. Concil. in una Neapolitana. Nam cum Patres Carmelitæ cecinissent Missam quotidianam, eis ex quodam testamento injunctam, & accusarentur non implevisse hoc onus, quia illam absque Diacono, & Subdiacono cantaverant, Sac Congreg. expendens testamentum non præcipere Missam solemnem, sed cantatam: Respondit: *satisfactum fuisse*. Nota etiam, quod quando Missa canitur, sine ministris, non debet turificari neque altare: neque cborus. S. R. C. 19. Aug. 1651.

96. Inq. 5. An qui collegit plura stipendia in Diocesi, seu loco, ubi taxa est major, possit illa mittere ad Docesim, vel locum ubi est minor, retinendo sibi excessum? R. neg. Constat ex constit. Bened. XIV. incipiente: *Quanta cura*, ubi tale mercimonium, sive in eodem, sive in alio loco factum, prohibet secularibus sub pena excommunicationis, & Sacerdotibus sub pena suspensionis, ipso facto sedi Apostolicæ reservata. Resolutio autem negativa pro omnibus potiori ratione est intellegenda de testamentariis, ut nequeant mittere stipendia ad aliam Diocesim, ubi sunt minora, retento sibi, vel etiam hæredibus, excessu; debent enim accurate, & fideliter solvere integra stipendia juxta taxam propriæ Diocesis, & justa mentem testatoris, cui aliter minime satisfaciunt. Nam in illa Diocesi præsumendum est velle testatorem sibi Missas celebrari, in qua vitam duxit, & in illa Ecclesia, ad quam devotione actus, illas reliquit, vel in qua tumulatus est, & non in alia sibi forte ignota, nisi aliter fieri ipse expresse disponat, aut causa rationabilis deponat.

PUNCTUM II.

De obligatione Sacerdotis celebrandi ratione stipendii manualis.

97. Inq. 1. An Sacerdos, accipiens stipendium pro Missa, vel promittens alicui eam celebrare pro stipendio, aut sine illo, sub gravi ad id teneatur? R. Quod si accepit stipendium, sive absolute sive respectivo gravem materiam constituens, apud omnes tenetur sub gravi; quia adest velut

contractus onerosus, ex quo in materia gravi obligatio gravis utrimque consurgit. Et idem est, si intuitu stipendii gravis promisit celebrare unam Missam, vel plures pro stipendiis regularibus, licet singula ad materiam gravem non attingant. Quia in utroque eventu sive ex uno stipendio gravi, sive ex pluribus parvis, materiam gravem conflantibus, penes omnes oritur obligatio gravis. Unde Sacerdos, acceptans Missarum celebrationem, debet sub gravi eas quantocius celebrare. Alias grave præjudicium infert animabus purgatorii. Vid. tract. 20. n. 254.

98. Si autem accipit stipendium leve, dicitur plures non teneri sub gravi; quia nemo intendit graviter se obligare pro levi stipendio: nec gravitas obligationis pensari debet ex sacrificii valore, majori omni pretio temporali, sed pensanda est, inquit, ex damno, quod patitur ille, cui erat applicandum; hoc autem non est grave, siquidem levi stipendio redimitur. Neque promissio nuda gravem inducit obligationem; ergo Sacerdos, accipiens stipendium leve, vel promittens celebrare pro illo, vel sine illo, ad id non tenetur sub gravi. Hæc sententia hujusmodi rationibus fulcita, primo aspectu valde probabilis apparet.

99. Nihilominus, absolute loquendo, & in praxi opposita est amplectenda. Quoniam promissio etiam nuda graviter obligat apud omnes, quando ejus violatio est perniciosa, hoc est, quando ex ejus violatione grave præjudicium resultat proximo; sed ex omissione sacrificii promissi grave præjudicium resultat proximo, sive vivo, sive defuncto, imo utrique, ut bene perpendenti patebit: ergo Sacerdos, promittens celebrare pro stipendio, vel sine illo, ad id tenetur sub gravi. Hæc ratio universaliter probat, fortius tamen in Sacerdote, a quo postulat sacrificium ob aliquod motivum grave, & urgens, ut pro agonizante, pro puerpera periclitante, pro anima peculiaris defuncti, quibus omnibus, & aliis similibus, liquet ex omissione grave præjudicium provenire. Solum igitur non tenetur Sacerdos sub gravi celebrare Missam, pro stipendio levi ab alio sibi postulatam, & acceptatam, vel a se promissam, monendo creditorem, quod alia via sibi provideat, vel quando certo moraliter sibi constaret, non esse in-

ten-

entionem creditoris imponere illi gravem obligationem; alias defraudatur proximus in re gravi. Aliquantulum immoratus sum in hoc casu explicando, quia æque frequens, ac dignus est, ut bene percipiatur.

100. Inq. 2. An Sacerdos, possit celebrare per alium, retenta sibi parte stipendii accepti? R. Neg. Constat ex propos. 9. damnata ab Alexandro VII. *Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta*. Aliqui sentiunt talem Sacerdotem non teneri restituere partem, sibi retentam, quia putant non violare justitiam, sed obedientiam; hoc tamen iudicamento caret, quia, supposita declaratione Pontificia, injusta est retentio. Imò Bened. XIV. in superius laudata Bulla *Quanta cura*, declaravit non posse id fieri, esto alius Sacerdos consentiat in retentione, prout jam antea erat decretum a Sac. Congreg.

101. An vero id prohibeat, etiam quando excessus stipendii tribuitur titulo amicitie, aut cognationis? Respondet quidam recentior, idem dicere Pontificem, esto detur excessus prædictis titulis; sed ejus venia Pontifex non meminit cognationis, aut amicitie, nec intendit nisi dispellere opiniones, & abusus lucrandi indiscriminatim, media retentione partis stipendii. Igitur non est asserendum idem dicere de excessu titulo amicitie, aut cognationis collato, quando solum loquitur de partis retentione, & de mercimonio detestabili colligendi majora stipendia turpis lucri gratia, ut videre est in eadem constituto, ubi nihil novi addit, nisi pœnastansgressoribus, ut ipse disserte declarat ibi, & in Synod. Dioc. lib. 5. cap. 9. n. 5.

102. P. Concina reprobat retentionem dicti excessus, hæc ductus ratione. *Dum quis majus pro Missa celebranda stipendium exhibet, id agit, ut opus Deo acceptius offerat, magisque mereatur*. Hæc ratio destruit statum questionis; quia si totum stipendium datur solo intuitu Missæ, non est dubium debere totum tribui alteri eam celebranti. Questio est pro casu, in quo datur majus stipendium ratione cognationis, vel peculiaris amicitie, quod agnoscitur ex excessu, & modo largiendi, & ex aliis signis.

103. Igitur in his, & similibus circumstantiis, voluntatem donantis declarantibus, decidenda est questio, atque dicendum non comprehendit casum in laudata Bulla Benedicte, ut patet ex supradictis, & quia, si dans stipendium, conceptis verbis exprimeret hanc esse suam voluntatem, nempe quod excessum sibi accipiens retineat, sine dubio ita fieri posset: ergo, etiam in dictis circumstantiis, quæ fere certo illam patefaciunt, nam facti, & expressi eadem est ratio. Dices: si ita vult, cur non ita exprimit? R. Quia ita exprimere non congruit decori donantis, nec accipientis. Nemo suadet facere, sed si fat, dicimus, quod non incurrit faciens pœnas dicto mercimonio impositas.

104. Aliqui putant se obsequium præstare Pontifici, dum ultra mentem ejus constringunt opiniones, & conscientias; sed aperte falluntur, quia solus ille obsequitur legi, & ejus latori, qui juxta veritatem declarat ipsius spiritum, & mentem, non declinando in rigorem, aut laxitatem. Unde ipse sapientissimus Pontifex hortatur Episcopos, ut in collationibus moralibus præferant sententias eorum Theologorum, qui media via inter rigorem, & laxitatem incedere norunt. Ita in Syn. lib. 12. c. 6. in fine.

105. Inq. 3. An accipiens plura stipendia pro pluribus Missis, possit unica Missa omnibus satisfacere? R. neg. Constat ex propos. 10. damnata ab Alexand. VII. *Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre: neque etiam contra fidelitatem, etiam si promittam, promissione etiam juramento firmata, tradenti stipendium, quod pro nullo alio offeram*. Nescio sane, quomodo vir aliquantulum doctus ita potuit obæcar! Alii dixerunt hoc posse permitti Sacerdoti pauperi; sed paupertati Sacerdotis aliunde debet subveniri. Unde nullus Sacerdos valet satisfacere pluribus obligationibus justitiæ unica Missa, nec ratione paupertatis, nec ratione fructus specialissimi, aut imperatorii, neque ratione indulgentiæ altaris, vel Imaginis, nec ratione dei festi, aut alterius cujuscumque tituli, aut privilegii, omnia enim privilegia circa hanc materiam sunt revocata, sed tot Missæ debent dici, quot stipendia recipit, licet incongrua; nam sibi imputet, si acceptat incon-

Tract. XXVI. De Sacrificio Missæ
incongrua. Si autem a testatore elemosyna præscripta non fuerit, tunc ab Ordinario præscribenda est. Omnia constant ex decreto Sac. Congreg. Concil. Trid. die 21. Junii 1625. autoritate Urbani VIII.

PUNCTUM III.

Alia dubia circa stipendia Missæ.

106. Inq. 1. An Sacerdos possit unica Missa satisfacere pluribus obligationibus non ex justitia, sed ex caritate, misericordia, liberalitate, aut amicitia? R. Nullo decreto Sac. Congreg. hoc esse prohibitum, neque applicata absolute Missa pro illo, qui dedit stipendium, posse pro aliis applicari ex caritate, seu aliis titulis, & obligationibus extra justitiam. Verum quod heinc aliqui inferunt, posse illum, qui ex obedientia tenetur applicare Missam pro sui ordinis defunctis, pro benefactoribus &c. recipere stipendium pro tali Missa, absolute verum non est. Unusquisque consulat, & observet sui ordinis constitutiones. In nostra religione pro Missis, quas constitutiones jubent applicari pro defunctis ordinis, pro Papa, Rege, Protectore, & aliis benefactoribus, & cognatis religiosorum, aut pro Missis B. Virg. in sabbatis, minime valet recipi stipendium. Nam religio vult eas applicari eodem modo, ac aliæ, quæ ex justitia debentur. Sed occasione hujus.

107. Inq. 2. An Missa æqualiter prosit aliis, ac illi, pro quo applicatur? R. Quod in ratione satisfactionis, & remissionis peccatæ magis prodest ei, pro quo applicatur, quam cæteris; sub hac ratione non prodest, nisi ex beneplacito Dei applicetur alicui ob peculiarem devotionem, quam in vita erga Missam, & Eucharistiæ sacramentum habuit. Nam juxta majorem hanc devotionem creditur Deum applicare aliis, ex sacrificiis celebratis pro illis, qui illa caruerunt, vel tepidam habuerunt. At in ratione consolationis magis prodest Missa illis, qui majorem habent caritatem, quæ quanto major est, tanto amplius delectatur, & gaudet de levamine aliorum. Et hoc modo debet intelligi exemplum de candela accensa pro divite, quæ non minus prodest aliis, qui cum ipso sunt; imo magis, si oculos habeant clariores. Unde

confirmantur, quæ superius diximus, & deinceps dicemus, nempe obligatum ex justitia applicare Missam pro uno, non posse illam æque applicare pro duobus, aut pluribus. Vid. D. Thom. in supplem. q. 71. a. 14.

108. Inq. 3. An qui vovit celebrare Missam in gratiarum actionem, vel ob aliquam necessitatem, possit pro eadem accipere stipendium? R. neg. Alias votum esset illusorium; vovens enim ex animo, obligatur ad Missam integre offerendam pro beneficio accepto, vel pro illo impetrando. Omittens celebrare Missam, ex voto debitam, graviter peccat. Votum celebrandi est personale, nec transit ad heredes, nisi vovens aliud exprimeret. Verum nec tunc transit ad illos ut votum, sed ut quædam obligatio realis imposita a testatore.

109. Inq. 4. An deceat Confessarium dicere penitenti, quod stipendia Missarum, quas illi injungit celebrandas, sibi conferat? R. Nullo modo hoc debet. Imo esto ei sponte offerantur, debet recusare eorum acceptionem, abhorret enim Ecclesia non solum ab omni specie avaritiæ, sed etiam ab ejus suspicione. Idem ob eandem rationem tenes de qualibet elemosyna in confessionali etiam voluntarie oblata. Si autem offerentes insistant, potest dicere Confessarius, quod sive stipendia, sive elemosynas spontaneas ad sacramentum, si velint, deferant, ipse vero ea accipere recuset. Vid. Benedic. XIV. de Syn. lib. 5. c. 9. n. 6.

110. Inq. 5. An Sacerdos pro una Missa possit accipere duplex stipendium, unum pro illa celebranda in tali Ecclesia, vel tali altari, & aliud pro ejus applicatione? R. Quod regulariter non potest: quia commendans Missam, ejus vult fructum, & applicationem. Ideo nisi dans stipendium, vel fundator cappellanæ expressis verbis declaret tantum velle celebrationem, relinquendo liberam applicationem, obligatus ad celebrandum stipendium, sive manuali, sive perpetuo, obligatus existit etiam ad applicandum, ut patet ex laudato decreto Sac. Congreg. sub Urbano VIII. ad quartum.

111. Inq. 6. Quanto tempore possit deferre Sacerdos celebrationem, ad quam est obligatus? R. Hoc pendere ex intentione

Cap. III. De justo stipendio Missæ.

tionem, & sine illam postulantis. Aliquando enim debet Missa celebrari quantocius sub gravi, ut si petatur pro salute infirmi, aut pro negotio urgenti; alias, si differatur, & interim infirmus obeat, aut negotium expediat, præter grave peccatum, adest obligatio restituendi stipendium. Aliquando permittitur major dilatio, nunquam tamen diuturna. Quæ autem diuturna sit dicenda, variant Auctores; imo aliqui desipiunt, aut delirant, ut ille, qui *modicum tempus*, a decretis Pontificiis præscriptum ad tres annos extendit. Omissis ergo aliorum placitis, dilatio ultra mensem, diuturna, & gravis est judicanda. Hoc intelligas pro communitatibus, nam Sacerdotes particulares nequeunt sub gravi tot Missis onerari; exponatur enim ob varias vitæ vicissitudines periculo amplius differendi. Quod periculum remotius est in communitatibus, tum ob pluralitatem Sacerdotum, tum quia aliis piis operibus, & exercitiis spiritualibus propriis religionis, quæ aplicantur creditoribus Missarum, non parum earum dilatio compensatur. Modicum ergo tempus spatium *unius mensis* designat. Ut ait Benedic. XIV. in Syn. lib. 13. cap. ult. n. 10. et in *inst. 56. n. 14.* ubi affert decisionem s. c. respondentis, modicum tempus intelligi infra mensem.

PUNCTUM IV.

De obligationi celebrandi ratione beneficii, aut cappellanæ.

112. Inq. 1. An beneficiarius, seu cappellanus, per alium celebrans, possit illi tradere consuetum stipendium, retenta sibi majori? R. Quod potest, quoties per alium celebrat Missas beneficio aut cappellanæ injunctas; tum quia præter celebrationem alia onera subit; tum quia ita constat ex Decret. Sac. Congreg. cujus prohibitio retinendi partem stipendii, solum loquitur de elemosynis Missarum manualium. Idem tenes ob has rationes de Parocho, qui per alium celebrat Missas de anniversario, a testatoribus parochianis relictas in sua Parochia; quarum stipendium, esto paulo majus Missarum manualium, non potest multoties haberi a Parocho absque incommodo, & molestia in procuranda a Testamentariis, seu hæredibus solutione.

113. Inq. 2. An cappellanus, adstrictus

quotidie celebrare, possit aliquoties abstinere a celebratione? R. Posse aliquoties ex causa rationabili, ut pro reverentia tanti Sacramenti, & licet Concina cum pluribus, quibus subscripsi in prima editione, asserat posse *semel*, & iterum celebrare pro se, pro suis parentibus, cognatis, & in die obitus, & commemorationis defunctorum; adest tamen decretum S. Congreg. in oppositum, & producit a Benedic. XIV. De sacrificio Missæ, lib. 3. cap. 3. n. 7.

114. Quando ratione infirmitatis non potest celebrare aliquibus diebus, puta per quindecim dies, non tenetur supplere per alium, quia fundatores præsumuntur potuisse, & debuisse prævidere, quod cappellanus non semper valere potest, vel quod aliquando accidunt casus, in quibus a celebrando impediatur. Non tamen extenditur concessio ultra 15. dies, prout bis declaravit eadem Congreg. Concilii. Pro omni eventu attendenda est fundatio, seu scriptura, in qua declaratur mens fundatoris; si enim hæc fuit eligere, non Sacerdotem peculiarem, sed celebrari quotidie Missam, hæc quotidie dicenda est, sive per unum, sive per alium Sacerdotem. In dubio Episcopus est consulendus. In die Natalis Domini non tenetur cappellanus, de quo est sermo, tres Missas applicare, nisi id expresse in fundatione habeatur.

115. Superius dictum est, quod celebrare debet in ecclesia, & altari prænitio a fundatore, ita ut graviter peccet, si absque causa, vel sine Episcopi dispensatione alibi sæpius celebret. Pariter posse anticipare Missas perpetuas, nisi alius testator præscriperit, vel cedat in aliorum præjudicium. Ideo in nostra religione nequeunt anticipari Missæ a constitutionibus præscriptæ in feria 2. cujusque hebdomadæ pro ordinis religiosiis, & benefactoribus defunctis; alias qui post ea successive decedunt, privarentur subsidio Missarum ob earum anticipationem. Eodem igitur modo se gerere debet cappellanus, cui quolibet mense, aut hebdomada præscribatur Missæ, vel in suffragium defunctorum, vel in ecclesie, aut cappellæ decorem, ne ibi Missæ deficiant, vel in honorem Christi, aut B. Virginis, ut tali die celebretur.

116. Inq. 3. An, si redditus cappellanæ notabiliter minuatur, possit cappellanus

lanus minuire pro rata numerum Missarum? R. Quod si totum capitale absque ejus culpa pereat, liber est cappellanus ab onere Missarum; quia nulla æquitatis ratio postulat, ut gratis seruiat, si autem capitale, esto cum notabili detrimento persistat, debet cappellanus celebrare Missas præscriptas, donec vel a Pontifice, vel ab Episcopo reductionem earum obtineat. Ratio vero cur in primo casu omnino liberatur, & non in secundo, saltem pro rata, est, quia ad moderandum numerum Missarum exigitur circumspectio, & prudentia, quæ in primo casu, ut ex se patet, non requiritur.

117. Inq. 4. An hæres, adstrictus solve- re stipendia Missarum, teneatur illa integre tribuere, licet capitale sit notabiliter mioutum? R. Sub distinctione: vel enim fundum pro capitali designatum tradidit cappellano ex dispositione testatoris, vel non. Si primum, ad amplius non tenetur hæres, si ante traditionem pereat, vel miouatur in manu, vel potestate hæredis, hic debet supplere. Similiter si decursu temporis fundus in dominio hæredis decrescat, etiam absque ejus culpa, adhuc alia opus est distinctione, ut obtinere valeat Missarum reductionem. Nam vel fundus est designatus pro stipendiis *taxative*, aut *demonstrative*. Si *taxative* designatus immi- nuatur, potest procurare reductionem; si vero *demonstrative*, debet supplere, ita ut Missæ præscriptæ semper sint celebrandæ, donec majoratus perduret, ut sæpius ego de hoc consultus respondi. Non tamen ob hoc tollitur facultas adeundi ad Superiorem legitimum, ut provideat, quod expedire sibi visum fuerit.

118. Si autem queras unde agnosceret fundum esse designatum *taxative*, aut *demonstrative*? R. Tunc designari *taxative*, quando fundator incipit dispositionem ab assignatione fundi, & progreditur ad onus Missarum præscribendum, ut si dicat: *assigno vel relinquo hunc fundum, ut ex ejus redditibus tot Missæ celebrentur vel cum onere tot Missarum*. Tunc vero designari *demonstrative* quando dispositio inchoat ab impositione Missarum, ut dicendo: *Volo quod tot Missæ celebrentur, pro quibus designo talem fundum, vel aliis verbis æquivalentibus*. Vide Bened. XIV. de Syn. lib. 13. cap. ult. n. 32.

PUNCTUM V.

De reductione Missarum.

119. Inq. 1. Quis possit numerum Missarum reducere? R. Quod ex decreto Conc. Trid. possunt Episcopi in Syn. Diocesana, & Superiores regulares in capitulis generalibus, re diligenter perspecta pro sua conscientia, reducere Missarum numerum; ita tamen, ut eorum semper defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute legata ad pios usus reliquerunt. Ita sess. 25. cap. 4. Decretum hoc prudentissimum fuit; nam cum ad Missarum reductionem vera & adequata circumstantiarum informatio requiratur, hanc Episcopi pro suis Diocesisibus, & Superiores regulares pro suis monasteriis aptius obtinent, quia non datur informatio melior illa, quæ oculis habetur.

120. Nihilominus hæc facultas jam est reservata Sedi Apostolicæ ex decreto Urbani VIII. confirmato ab Innocentio XII. unde jam nullus alius præter sum. Pont. potest Missas reducere, ubi præfatum decretum est receptum, uti est in nostra religione. Imo in nostris constitutionibus præscribuntur fere omnia, quæ in dicto decreto sanciantur, & omnes Prælati ita inviolabiliter observare coguntur. Verum est, quod post Urbanum VIII. pluribus religionibus indulgere hanc facultatem Alexand. VII. Clem. X. & XI. & Bened. XIII. qui etiam illam concessit Episcopis, qui per se, aut per suos procuratores Concilio Romano interfuerunt anno 1725. Præterea, vel per extensionem hujus indulti, vel per aliud peculiare ab Episcopis postulatam, quod solet eis facile concedi, supposita justa causa reductionis, poterunt Episcopi eam perficere juxta instructionem sibi commissam, & tunc potest Episcopus reducere onera Missarum etiam religiosorum suæ Diocesis ad ipsum recurrunt ad hunc effectum. Quamvis verum sit pariter, quod etiam Generalibus religionum solet Pontifex benigne idem concedere ut mihi supplicanti benignissime bis concessit pro duplici meo Generali PIUS VI. feliciter regnans.

121. Ab omnibus his curis, & flagitatio-

nibus se possent eximere Prælati regulares, vel non admittendo in se capitale, aut onus Missarum, sed quod remaneat apud hæres sub obligatione solvendi quotannis conventui eleemosynam Missis junctis respondentem; vel admittendo illud sub conditione, quod solum teneatur monasterium ad onera implenda per quinquaginta annos, ultra quod tempus fundatores onerum adjuventur communibus suffragiis Missarum, & piorum operum, quæ a religione pro benefactoribus indefinite Deo assidue offeruntur. Sic acceptare onera Missarum (prudentem quidem) Patres Minimos refert Benedictus XIV. in Synod. lib. 13. cap. ult. num. 9.

122. Inq. 2. Quæ onera, vel quas Missas possit Episcopus reducere, facultate sibi delegata. R. Non posse regulariter eleemosynas, aut alia pia legata reducere, quando separata a Missis injunguntur. Quando vero simul onus eleemosynarum, & Missarum præscribitur, potius pia opera, quam Missæ reduci debent, quia hæc præsumitur voluntas testatoris, si aliud expresse non constet, cum sacrificium Missæ aliis piis operibus acceptus sit Deo, & utilius animæ testatoris. Missæ, præscriptæ in fundatione beneficij, vel ex contractu partium reduci non debent juxta varia decreta Sac. Congreg. Missæ cantatæ reducenda sunt ad taxam juxta morem cujusque Diocesis, & idem est de anniversariis, & aliis suffragiis. Quod supererit, facta reductione Missarum cum cantu, destinandum est in celebrationem Missarum lectarum. Quando legatum completitur simul Missas cantatas, & lectas, reducendum est ad lectas, seu privatas, reducendo etiam stipendium ad manuale, hoc est, juxta consuetum stipendium Missæ privæ manualis. Causa præcipua inter alias reductionis Missarum est diminutio capitalis, & reddituum. Omnia hæc vid. fuscæ apud Benedictum XIV. in Synod. lib. 5. cap. 10. & lib. 13. cap. ult.

123. An Episcopus gaudeat facultate reducendi onera Missarum, saltem ea, quæ

nondum sunt imposita, vel ob exiguum capitale a nullo adhuc sunt acceptata? R. neg. Constat ex declaratione Sac. Congreg. Concilii, & ex alia Lucen. In qua disceptato sequenti dubio: *An Episcopus possit onera Missarum, non acceptata, reducere absque beneplacito Sedis Apostolicæ, sive hujus Congregationis, quoties reductionem necessariam esse judicaverit, ex eo quod locus pius legatum acceptare recusat, non diminuto onere: die 20 Junii 1682. respondit negati ve.*

124. Inq. 4. Quid agendum Sacerdoti, qui plures Missarum eleemosynas accepit, easque consumpsit, Missas autem nec celebravit, nec celebrare commode valet? R. In tali casu non dari locum reductioni, sed compositioni. Deque ab alio fieri valet hujusmodi compositio, nisi a summo Pontifice, qui eam benigne condonat, deposita ab oratore quadam eleemosyna in favorem fabricæ basilicæ S. Petri. Taxa eleemosynæ tribuendæ solet esse 10. per 100. pro citramontanis, 8. per 100. pro ultramontanis, & etiam solet miqui pro Sacerdote pauperiori esse pietate Pontificis. Verum pro obtinenda compositione requiritur, quod non fuerit ommissa celebratio, animo habendi compositionem; alias gratia non suffragatur, ut in simili dicitur de *Bulla compositionis* pro debitis incertis. Vide Bened. XIV. in Syn. lib. 13. cap. ult. n. 15.

125. Advertat etiam recurrens pro Missarum compositione, ne sit residuus; si enim talis sit, debet exprimere in supplicatione, ex stylo curiæ, condonationem, antea habitam qua expressa, obtinebit aliam, licet difficilior, & pro majori taxa. Notandum est denique, ne aliquis parum pius existimet omnino frustrari suffragio Missarum illos, qui stipendia dederunt, quod in suffragium eorum, pro quibus ommissa sacrificia offerri debuerant, alia quotidie celebrantur in basilica Vaticana a cappellanis ad hoc munus deputatis, ait Bened. XIV. ubi supra.